

3089

DISSERTATIO ZOOLOGICA,
ENUMERATIONEM
MAMMALIUM CAPENSIUM

CONTINENS:

TRIBUS TABULIS ADJUNCTIS:

AUCTORE

JOHANNES SMUTS,

MATH. MAG. AC PHIL. NATUR. DOCT.



LEIDAE

APUD J. C. CYFVEER.

—
MDCCCXXXII.

250.0.17.10

Caput supra frontem depressam latum, habet magnitudinem enormem, ac formam admirabilem. Rostrum est maximum, latum et inferius versus spectans.

Dentes canini maxillae superioris atque inferioris singularem longitudinem habent, curvati, et sursum tendentes: ii tamen maxillae inferioris multo breviores sunt.

Oculi parvi, proximeque auribus collocati: sub quovis sulco lacrymali cernitur lobus Zygomaticus magnae, rigidae ac compressae formae; dum simul sit orbicularis et directionis horizontalis, at minus moveri queat: unde haud parum singularis capitis figura efficitur.

Maxima corporis pars parce crinibus longis, densisque tegitur, obscuro-fusci coloris; vertex capitis et nucha, ad medium dorsum usque, obteguntur setis enormibus, nigro-fuscae speciei; in vertice autem sunt hi radiatim divergentes. Auriculae reclinatae sunt, ad partem inferiorem marginis exterioris oblique truncatae: margine toto pilis setaceis albis instructo.

Cauda subnuda ad apicem floccosa, setis nigro-brunneis instructa.

Animal, de quo hoc loco agebamus, moratur in regionibus sylvestribus, imprimis tamen partium interiorum Coloniae.

Excellit agilitate, non parum ob arma sua robusta timendum. ⁽¹⁾

~~~~~

Genus RHINOCEROS. LINN.

Species R. AFRICANUS.

*R. Bicornis*, DESMAR. *Mamm.* p. 400, 628. et

*Ann. du Mus.* III, Tab. 4. Fig. 2, 5.

P. CAMPER, *De Cranio Rhinocerotis Africani*, cét. in *Act.*

*Acad. Petrop.* 1777. 2. p. 103.

*Rh. Bicornis du Cap.* CUV. *Ossem. Foss.* II, p. 29—33.

Tab. 18. Fig. 1, 3.

—

RHINOCEROS AFRICANUS differt potissimum a SUMATRENSI, qui ei

---

(1) Figura, quam exhibuit GRASSITH, est omnino nullius momenti: dentes v. g. plane diverse sunt collocati.

proxime affinis est, dentibus incisoribus, haud externè apparentibus; <sup>(1)</sup> item propter universam ossium intermaxillarium absentiam.

Quod ad numerum cornuum spectat, RHINOCEROS AFRICANUS nihil discriminis in eo offert; sunt haec tamen majora: anticum retro curvatur; dum alterum, conicam formam habens, rectum sit.

Nullae omnino rugae in pelle observantur; quod omnibus reliquis speciminibus, plus aut minus proprium est: in margine aurium et caudae apice reperiuntur solummodo aliquot setae; quae sunt breves, rigidae ac nigri coloris.

Labium superius eminens, non parum idoneum est ad dentium incisorum absentiam supplendam. Aures atque oculi sunt pro totius animalis mole valde parva. Cauda brevis, ad basin rotunda, in apice oblique compressa.

Magnitudine videtur exteros superare.

Incolit maximam partem Africae.

Species RH. SIMUS.

BURCHELL. *Sur une nouvelle Espèce de Rhinocéros*,

*Journ. de Phys.* LXXXV. p. 163. c. Fig. long.

*Rh. du Burchell*, DESMAR. *Mamm.* p. 401.

Cornibus duobus; cute plicis subnullis; rostro simotruncato; RHINOCEROTE BICORNI longe major.

Quonam jure hic pro distincta specie est habendus?

Si, quod mihi videtur, dicere liceat; non est, nisi specimen adultum.

---

(1) Conf. Clar. G. VROLIK, in Museo, suprà laudato, quod inscribitur: *Bydragen tot de Natuurk. Wetenschapp.* Tom. V, Part. III. p. 377. *Amst.* 1830.